

ALIA DICASTERIA SANCTÆ SEDIS

Supremum Signaturæ Apostolicæ Tribunal

For the purpose of information we reproduce the text of the decision of the Supremum Signaturæ Apostolicæ Tribunal concerning a recourse against a decision of the Congregation for Divine Worship and the Discipline of the Sacraments to uphold the « interdict » imposed by His Excellency the Most Reverend Edward A. McCarthy Archbishop of Miami upon Mrs Dolores Sama on the grounds of the repeated interruption of the celebration of the Eucharist.

DECRETUM DE CAUSA MIAMIENSI

(D.NA MARIA DOLOROSA SAMA - CONGREGATIO DE CULTU DIVINO
ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM)

Exc. mus Archiepiscopus Miamiensis decreto pœnali diei 1 decembris 1986 D.næ Mariæ Dolorosæ Sama « interdictum » imposuit ecclesiam Sanctissimi Rosarii in urbe vulgo dicta Perrine ingrediendi. Quo decreto die 12 maii 1989 a Congregatione de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum confirmato, D.na Sama die 11 iulii 1989 — intra mensem a decisione præfatæ Congregationis eidem notificata — recurrit ad hoc Supremum Tribunal, petens: a) declarationem de inexsistentia censuræ irrogatæ et de inapplicabilitate cuiusvis pœnæ in casu ob can. 1323, 5°; b) refec-tionem damnorum; et c) declarationem suspensionis cuiusvis pœnæ in casu « pendente l'appello ».

Petitis et receptis actis causæ a Congregatione de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum;

Rite exhibitis memorialibus Patronorum partium et voto pro rei veritate, a Rev.mo Promotore Iustitiæ deputato redacto necnon replicationibus eorundem Patronorum;

SUPREMUM SIGNATURÆ APOSTOLICÆ TRIBUNAL

Re sedulo examinata;

Præmisso quod:

— (*ad a*) huius Supremi Fori in casu solummodo est videre de violatione legis vel in decernendo vel in procedendo quoad impugnatum decretum ab Exc.mo Archiepiscopo latum et a Congregatione de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum confirmatum (cfr. can. 1445, §2);

— (*ad b*) huius Signaturæ Apostolicæ in casu non est videre de damnis, nam actus impugnatus positus est antequam art. 123, §2, Const. Ap. «Pastor bonus» vigere inceperit;

— (*ad c*) suspensio pœnæ, etsi erronee, pendente recursu, denegata est (cfr. can. 1353), non afficit legitimitatem vel minus decreti pœnalis, de quo supra;

Attento quod D.na Sama — quidquid sit de assertis violationibus legum liturgicarum vel erroribus doctrinalibus in ecclesia Sanctissimi Rosarii — debitum moderamen haud servavit in manifestatione proprii dissensus;

Perspecto quod pœna in casu imposita est quia recurrens Archiepiscopo legitime præcipienti — ne ipsa ulterius ex parte sua celebrationes liturgicas graviter perturbaret — non obtemperavit et post monitionem in inobœdientia perstitit (cfr. can. 1371, 2°), quod absque culpa fieri non poterat;

Animadverso quod pœna, qua participatio cultus divini in loco determinato prohibetur, ad normam can. 1336, §1, 3°, per decretum extra iudicium iusta de causa irrogari potest (cfr. can. 1720);

Considerato quod in casu Exc. mus Archiepiscopus, ad normam can. 1720, per se vel per alios verbis et scriptis ante irrogationem pœnæ pluries partem recurrentem audivit et ad sese defendendam invitavit necnon rem integram cum duobus assessoribus accurate perpendit;

Perpenso voto Rev.mi Promotoris Iustitiæ deputati;
In Congressu die 30 octobris 1990 coram infrascripto Cardinali Præfecto habito

decernit

Recursus non admittitur ad disceptationem coram Em.mis Patribus Cardinalibus utpote manifeste carens fundamento.

Pro expensis retinetur integra summa 1.500.000 lib. it., quam pars recurrens iam apud Cancellariam huius Supremi Fori deposuit.

Datum Romæ, e sede Supremi Signaturæ Apostolicæ Tribunalis, die 30 octobris 1990.

ACHILLES CARD. SILVESTRINI
Praefectus

✠ ZENON GROCHOLEWSKI
*Episcopus tit. Acropolitani
a Secretis*